

1511 ad Maximilianum proficisceretur , cum fœderis feriendi potestate , si conditiones non respuerit : inter quas erat , ut si is Veronam reipublicæ restituat , Antonius pollicetur rempublicam ei daturam aliquam pecuniæ vim . eaque res ut bene reipublicæ verteret , omnibus in templis dies tres supplicatio decreta est . Antonius tacite profectus Feltriam ubi venit , literas sibi obviam missas accepit , quibus ei Maximilianus suis in locis atque oppidis dies octo commorandi potestatem faciebat . Eis literis non contentus Antonius , quod tam brevi temporis spatio Maximilianum convenire , remque tantam perficere posse se non confidebat , alias longioris moræ literas sibi mitti postulavit , easque in castello Butistanio , quod est in extremis reipublicæ finibus , se expectaturum confirmavit .

III. non.  
aug. hostes  
Verona e-  
gressi Vene-  
tos fun-  
dunt.

Antonio itaque Butistanii eas literas expectante , hostes qui Veronæ erant , a Maximiliano atque ab rege Galliæ haud parva manu aucti , commeatu & tormentis per Athesim flumen ad eos in ratibus Tridente missis , opido egressi ut exercitum reipublicæ aggrederentur , ad Grittum , qui non longe aberat , contenderunt : congressique , cum Veneti propter paucitatem premerentur , eos repulerunt , ducentosque ex equitibus captivos fecerunt , interfectis perplurimis , & Suavium ac Leonicænos ceperunt . Grittus cum reliquis , qui quidem fortissime pugnaverant , in Atestinorum se fines recepit . Fuerat hostium numerus equitum gravis armaturæ septingentorum , levis mille quingentorum , militum circiter septem millium cum Vasconum , tum Germanorum , ad quos gregiorum magna multitudo acceperat : quibus omnibus Palitia Gallus homo non obscuri inter suos nominis præerat . Ejus prælii nuncio accepto non mediocris timor Patres incessit , ne eo successu hostes sublati Patavium improviso se conferrent , quod vacuum defensoribus sciebant esse , ut de eo capiendo , si quid possent , experirentur . Augebant eum timorem literæ a magistratibus Alpinis ad eos datæ , Maximilianum Tri-

den-